Disputatio medica inauguralis de haematuria ... / Eruditorum examini subjicit Joannes Hastie, Scotus.

Contributors

Hastie, John, 1774-1822
University of Edinburgh

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et Socii, 1806.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/nny2uve4

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HÆMATURIA.

(12

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HÆMATURIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES HASTIE,

SCOTUS:

VIII. Calend. Jul. horâ locoque solitis.

---

*" Si SANGUIS aut pus in urina est, vel vesica vel
" renes exulcerati sunt."*

CELS.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII

1806.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO HONORABILI,

ARCHIBALDO COCKBURN,

SUPREMÆ APUD SCOTOS CURIÆ

AD LITES FISCALES JUDICANDAS CONSTITUTÆ

JUDICI;

NON SOLUM INGENII UBERTATE,

INSIGNIQUE JURIS PRUDENTIA,

VERUM ETIAM

LITERIS SCIENTIAQUE,

CONSPICUO;

HOCCE OPUSCULUM,

QUOD ANIMUM

BENEFICIORUM NUNQUAM IMMEMOREM

TESTETUR,

CONSECRAT

JOANNES HASTIE.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31951582_0002

VIRO REVERENDO,

JACOBO CRIRIE, S. T. D.

INGENIO,

MORUM SUAVITATE,

ET VIRTUTIBUS,

OMNIBUS CARO ET ACCEPTO;

SIBI,

A TENERIS ANNIS

SEMPER AMICO CERTO FIDOQUE;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

PIETATIS ET VERECUNDIÆ

TESTIMONIUM PERTENUE,

OFFERT

JOANNES HASTIE.

To Dr Ogilvie
with Spencer's wishes for
his happiness from
his friend the
Author

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HÆMATURIA.

PROŒMIUM.

MIHI summos medicinæ honores petituro, in animo est de HÆMATURIA pauca scribere, quæ sint, si non ingenii, industriæ saltem specimen. Hanc materiam ut sumam, magis inductus sum, quia nondùm aliis trita est scriptoribus; quàm quia puto, meis viribus æquam esse, aut confido, me posse, pro magnitudine, exponere.

Homines neutiquàm sola animalia sunt, quibus contingit hoc morbo laborare. Bubulum quoque genus afficit * ; neque rarò clades, quam armentis affert, agricolis spem lucri frustratur. Juvencæ quidem, et vaccæ, tempestivâ aliquandò cura revalescunt; pereunt semper juvenci et tauri.

An ullo anni tempore, præ cæteris, homines hunc in morbum incidant, parùm constat. Æstivo autem potissimùm tempore afficitur bubulum genus, ubì caloribus æstuat, et siccescentibus siccatisve rivulis et fontibus, ipsisque graminibus et herbis arentibus, siti torretur. Memoratu porrò dignum est, alienigenos tunc boves tam huic, quàm aliis morbis, opportuniores esse, quàm indigenas ; ideoque, utpote fluxas pecuarias, minoris penderi ab agricolis.

Prudentes igitur agricolæ, ne quâ hujusmodi clade spe destituantur, singulis annis seligunt

* Vid. DAVID. URE. *History of Rutherglen and East Kilbride*, pag. 191.

gunt ex nova armenti prole, quos ad genus conservandum vitulos educant. Aptè VIRGILIUS :

" Interà, superat gregibus dum læta juventus,
" Solve mares : mitte in *Venerem* pecuaria primus,
" Atque aliam ex aliâ generando suffice prolem.
" Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
" Prima fugit : subeunt morbi, tristisque senectus :
" Et labor, et duræ rapit inclementia mortis.
" Semper erunt quorum mutari corpora malis.
" Semper enim refice : ac, ne pòst amissa requiras,
" Anteveni ; et sobolem armento sortire quotan-
" nis *."

CAP. I.

De sede et signis.

CUIQUAM partes, quæ urinam secernunt, secretamque transmittunt ex corpore, scienti et

* Vid. P. VIRGIL. *Georgic*, lib. iii.

et consideranti, facilè apparebit, quatuor omninò esse fontes ex quibus emanare possit sanguis, qui cum urina redditur; renes nempè, pertinentesque ab his meatus, vesicam, ductamque hinc fistulam.

Uti sanguis, cum urina redditus, non ex uno omnibus in ægris fonte effluit, ita morbo, quem persequimur, non semper apud auctores idem datur nomen. Sunt, qui morbum tunc tantùm HÆMATURIAM appellant, ubì sanguis, qui cum urina mingitur renibus effluit *; ubì verò hic ex vesicâ emanat, illum CYSTIRRHAGIAM † nominant, seu VESICÆ HÆMORRHOIDES ‡. SAUVAGESIUS quidem unum tantùm

* Vid. VOGEL. *Gener. Morbor.* gen. xcii.

CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* tom. ii. pag. 170.

† Vid. VOGEL. *Gener. Morbor.* gen. xciii.

‡ Vid. COEL. AURELIAN. *Morbor. Chronicor.* lib. v.

tùm genus ponit; sed, utì solet in diversas, pro causarum varietate, species diducit *.

CULLENUS, quippè qui putet neque HÆMATURIAM neque cystirrhagiam, primarium unquàm esse morbum, neutram definire aggreditur. Utrasque autem definit VOGELIUS, utpotè a quo primarii morbi, et inter se diversi, habeantur.

Ab hoc auctore HÆMATURIA definitur: " Mictio è renibus cruenta, quæ sanguine " urinæ exquisitè permixto perfunditur, ut " eâ quasi dilutus et tenuis sit sanguis †." Ab eodem sic cystirrhagia: " Mictio cruenta " è vesica dolorifica, qua sanguis urinam non " æqualiter perfundit, ac, in imo subsidens, " in grumos concrescit; ejus quoque portio " aut

* Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Class. ix. Ord. i. gen. v.

† Vid. VOGEL. *Gener. Morbor.* gen. xcii.

" aut grumus interdum citra urinam exci-
" dit*."

Ante cruentam urinam mictam, aliquid plerumquè doloris aut molestiæ eâ in parte sentitur, ex qua sanguis effunditur. Aliàs autem, senescente potissimùm ætate, iisque in morbis, quibus eò inclinant humores ut putrescant, doloris nihil molestiæve morbum prænunciat. Tùm enim sanguinis præ malo ipsius habitu et tenuitate, aut patulis arteriarum surculis laxatis, rubræ particulæ datâ portâ elabuntur, urinamque rubore non suo suffundunt.

Utì sanguis qui cum urinâ egeritur, non uno semper emanat fonte, sed modò renum arteriis, aliquandò vesicæ, interdùm urinæ meatuum aut fistulæ ; sic neque ei egesto coloris semper formæque unitas est.

Aliquandò excernitur sanguis, urinæ immistus ;

* Vid. VOGEL. *Gener. Morbor.* gen. xciii.

mistus; et recens, urinam rubore saturiorem, at exsanguem tamen, simulat: neque, dum infrixerit, sanguinemque deposuerit, satìs distingui potest.

Nonnunquàm mictus cum urina sanguis, vermes mentitur; qui, licèt iis sit formæ unitas, nequaquàm unicolores sunt. Quippè aliquandò, dum ab exteriore parte subfusci sunt, aut subrubri, sunt ab interiore parte, albidi. Nonnunquàm ab exteriore parte, albidi sunt, dum, ab interiore, subfusci vel subrubri. Neque rarò tam colore, quàm formâ, extinctum ex lucernâ linamentum referunt.

Interdùm sanguis cum urinâ emissus, nequedum vermium similitudinem mentitus, ex urinâ frigescente se dissociat; deinque, in imum matulæ delatus, concrescit in grumulos, qui *coffææ* fæces repræsentant.

Cruenta urina, qualem nonnunquàm mingunt *malignâ variolâ* turpati, putridisve febribus laborantes, brevi tempore imputrescit; neque

neque enimverò signum aliud est, ex quo certiùs cognoscat medicus, ægrum summo in periculo versari.

Cruenta autem urina, etiamsi non putridis morbis efficiatur, ipsa tamen periculosus haud rarò morbus est. Namque, modò diu maneat, vires usquè eò dissolvit et digerit, ut æger hydrope, morbo regio, spirandi difficultate, stomachi defectu et imbecillitate, siti immodicâ, aut quotidianâ remittente, absumatur *.

CAP. II.

---

* Vid. *Edinburgh Medical Essays and Observations*, vol. v. art. lxxii.

SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Class. ix. Ord. i. gen. v. spec. 15.

CAP. II.

De Causis.

PROXIMUM est, ut quibus urina causis cruenta efficiatur, pressè investigemus. Has verò, quò magis in aperto sint, haud alienum erit in genera disponere.

Quæ cruentam reddunt urinam causæ, eæ nobis videntur esse, quales aut sanguinem vitient; aut faciant, ut corpus præter salutarem modum sanguine impleatur; aut renum cola, meatusve ex his profectos, vel vesicam, ductamve hinc fistulam, lædant exulcerentve.

PRIMUM ad GENUS pertinent morbi, qui sanguinem reddunt aptum, qui putrescat, constituentesque cujus partes, soluto tanquàm vinculo, dissocientur.

Hujusmodi autem sunt *variola confluens* *; morbilli putridi †; scarlatina ‡; stomacace; icterus niger ||; malignæ febres §; dysenteria maligna ¶; sanguis unius animalis in alterius arterias transfusus, ut viciès periculo compertus est DENYSIUS **.

SECUNDO subsunt GENERI nimia ventris obedientia, epulæ opiparæ et lautæ; vini cerealisque humoris intemperantia; animi vacuitas,

---

* Vid. SYDENHAM. *Oper. Univers.* edit. LUGDUN. BATAV. an. M,DCC,XXVI. pag. 141.—2. FRIEND. *Epistol. De Purgantibus*, Histor. v.

† Vid. SYDENHAM. *Oper. Univers.* pag. 360, 361, et 362.

‡ Vid. SYDENHAM. *Oper. Univers.* ibid.

|| Vid. MARCEL. DONAT. *Histor. Mirabil.* lib. iv. cap. xxix.

§ Vid. SYDENHAM. *Oper. Univers.* pag. 382.

¶ Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Class. ix. Ord. i. gen. v. spec. 11.

** Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Class. ix. Ord. i. gen. v. spec. 13.

cuitas, corporis ignavia; somnus nimius: solita profluvia suppressa, menses * nempè, hæmorrhois †; sanata ulcera vetusta, sanati fonticuli. His accedat alvi pigritia.

TERTIUM ad GENUS spectant renes percussi ‡; in renibus, vel vesicâ, viisve quæ ex iis ducunt, arenula, sabulo, calculi; in vesicâ, fistulâve hinc pertinente, etiam immissa extranea ||; sinuati intestini ulcus in contiguam ei vesicam adhærentemque patens, vomitus gravis; longa equitatio; casus; intemperatus allii usus §: quibus annumerentur vermes, venas, internam in vesicæ tunicam dispersas, rodentes.

Cùm

---

* Vid. FRIDERIC. HOFFMAN. *Medicin. Rational.* Systemat. tom. ii. part. ii. cap. vi. obser. i.

† FRIDERIC. HOFFMAN. loc. citat. § 8.

‡ Vid. CELS. *De Medicina*, lib. v. cap. ii.

|| Vid. FRIEND. *De Febribus. Comment.* vi.

§ Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Class ix. Ord. i. gen. v. spec. II.

Cùm in vermium mentionem inciderimus, miram cruentæ urinæ verme motæ historiam *, hìc loci, in compendium conferre, à re nostrâ nequaquàm fore alienum opinamur.

Generosus quinquagenariùs, cui nomini erat THOMAS HUTCHINSIUS, firmissimâ corporis constitutione, prosperâque etiamnùm valetudine, sanguinem cruentam mingere cœpit. Intermissione nullâ, nisi ubì potulenta, si quandò iis sibi copiosiùs indulserat, perlucidam urinam minusve coloratam fecêre eandem ferè sanguinis copiam quotidie reddebat; quam enimvero, quantùm observabat, neque exercitatio, neque medicina, neque diæta multùm auxit aut minuit.

Quinque pòst annos, quàm affectus morbo erat, quo primum tempore BARREIUM consuluit, urina subrubro colore satur erat; et, frigescens, deponebat sedimentum rubore saturius

* Vid. *Edinburgh Medical Essays and Observations*, vol. v. art. lxxii.

rius cujusque, post urinam elutriatam, multa pars concreta observabatur. Viginti quatuor horis, præter sanguinem, quem liquatum urina tenebat, duæ ad minimum unciæ subsidebant. Singulis vicibus, ut æger in duo deinceps vasa vitrea mingendo, deinque, factâ urinarum comparatione, observaverat, ea in primum vas micta, quàm ea in secundum, saturiore rubore erat.

Nunquàm unà cum urina aut calculum, aut sabulum, æger reddiderat; nequedum ei doluerant, aut renes, aut urinæ meatus, aut ejusdem receptaculum, vel fistula. Compluribus frustrà usus medicamentis, et curationis spe destitutus, sicuti morbo deditus, suo ut anteà animo morem gerebat. Tres verò ante annos, quàm à BARREIO opem petivit, in febrem incidit, neque tamen hâc urgente, ut certiorem hunc posteà medicum fecit MAXUELLIUS, chirurgus militaris, qui febrienti subveniebat, urina multùm variabat.

Exindè verò vires, antehac parùm fractæ, paulatìm

paulatìm fatiscebant. Quo primùm tempore eum visit Barreius aquâ intercute intumebant crura; atque abdomen incipiente tanquàm ascite tumidum erat, atque intentum. Flavebant oculi et cutis. Quinetiam motu lassitudinem, spirandique difficultatem, sentiebat æger; omnesque æquè cibos fastidiens, perpetuâ siti urgebatur. Arteriæ porrò, similitèr atque intermittentis accessione, celerrimè, potissimùm vespere, movebantur.

Medicus, undè oriretur morbus, inscius, mala, quibus ægrum afficiebat, levare conabatur magis quàm sperabat, ullâ posse medicinâ curare.

Hunc in finem, dato vomitorio, præcepit, ut æger decem submuriatis hydrargyri grana assumeret, et postero mane duas cathartici humoris uncias, quæ alvum purgarent. Unam post hebdomadam, æger assumptis intereà pilulis ex ammoniaco confectis, medicatis aquis, aliisque medicamentis, quibus uti solent calculosi, iterùm submuriatem hydrargyri, et

catharticum

catharticum humorem adhibuit. Postero mane, quartâ ferè horâ, alvus, gravibus primùm torminibus cruciata, ingentem stercoris molem præcipitavit. Conquiescentibus dein verminibus, æger in lectum decubuit, somnumque cepit ad septimam usquè horam; tum experrectus vitreum calicem urinâ colore naturali mingendo implevit, et, paulò ante decimam horam hujusmodi duos. In vitreo, in quem novissimè minxerat, calice, MAXUELLIUS, qui tunc visum, et, quemadmodùm se haberet, percunctatum venerat, aliquid inusitati conspicatus, BARREIUM arcessivit. Hic medicus, eliquatâ urinâ, invenit in calicis fundo vermiculum, unum ampliùs transversum digitum longum; crassitudine anguillæ minimæ æqualem, neque formâ quidem huic absimilem; colore rubrum; et, à caudâ, acuminatum. In scutellam fictilem Sinensem excepti, deinque leniter lavati, caput, lumina, et circulares fibras, propriis BARREIUS et MAXUELLIUS oculis conspexerunt.

Vermiculo foràs ejecto, tribus hebdomadis urina,

urina, alieno rubore suffusa, reddi cessavit. Dein vino chalybe saturato, pilulis ex ammoniaco confectis, et radice amarâ perseverantèr assumptis, habitâque simul idoneâ diætæ ratione, tempore haud longo cætera mala omnia conquieverunt. Revalentibus indies viribus, cujus hominis heracleum vigorem ad infantilem imbecillatem intestinus hostis minuerat, idem, ante unum annum elapsum, amissam valetudinem redeptus est, pristinum robur.

Ad idem causarum genus referenda sunt veneria acria; itemque acria cathartica; necnon cantharides, aliaque acria data, quæ urinam citent *. His accedat vis lumbis extrinsecùs illata, velut equi calce †.

CONTINENS sanguineæ urinæ CAUSA, quam etiam

---

* Vid. FRIDERIC. HOFFMAN. *Medicin. Rational. Systemat.* tom. ii. part. ii. cap. vi. § 16.

† Vid. FRIDERIC. HOFFMAN. loc. citat. § 15. SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Class. ix. Ord. i. gen. v. spec. 14.

etiam PROXIMAM medici nuncupant, alia in aliis ægris est, proùt aliæ atque aliæ sunt causæ EXCITANTES.

Aliquandò, ut in iis qui malignis morbis urgentur, est malus sanguinis habitus, et patularum arteriarum laxitas. Quaproptèr constituentes illius humoris partes, tanquam vinculo earum soluto, aptiores fiunt, quæ datâ portâ effluant; simulque patulæ arteriæ facilem iis effugiendi occasionem præbent.

Nonnunquàm, ut in iis, qui ex suppressis profluviis cruentam urinam mingunt, causa continens est comparativa arteriarum quæ in renes vel urinæ itinera distribuuntur, plenitudo; propter quam, sanguis, ubì in corpore redundat, ex patulis earum, præ cæteris, surculis elabitur.

Interdùm denique velutì cùm in renibus, partibusve per quas urina hinc perlabitur; calculi, sabulo, arena, vermesve insint, vel vi quâlibet eadem organa detrimentum extrin-

secùs acceperint, proxima cruentæ urinæ causa sunt surculi arteriarum venarumve soluti, erosi ruptive.

CAP. III.

De Diagnosi.

QUANDO sanguis mingitur urinâ solutus, rubram, at sanguinis tamen expertem, urinam multùm refert.

Oportet igitur medicum scire, quibus notis sanguinea urina ab exsangui dignoscatur. Ne errorem creet similitudo, debet in memoria tenere, quæ dicturi sumus.

Urina rubra, modò sanguinis expers sit, recèns reddita perlucet; cruenta verò non. Illa porrò urina immissa lintea non colorat; tingit autem hæc rubro colore. Quinetiam, quod sedimentum deponit exsanguis rubra urina,

urina, idem calefacta ad humani corporis temperiem, resolvit; urina sanguinea non item. Quem denique, sanguinem solutum tenet urina, coit is temperie, quam ducentesima duodecimaque FAHRENHEITIANI *thermometri* nota indicat; nulla autem pars urinæ rubræ, cui nihil sanguinis inest *.

Cùm sanguis, vermium vel *coffææ* specie, cum urinâ excernatur, nihil erit, quamobrèm de morbo medicus dubitet, notasve requirat, quibus sanguis dignoscatur.

CAP. IV.

De Signorum Ratione.

QUOTIES morbus quem persequimur, calculis, sabulone, arenulisve in renibus urinæve viis inhærentibus, aut detrimento quod extrinsecùs

---

* Vid. CULLEN. *First Lines*, § 1045.

trinsecùs acceperunt hæ partes, oritur, sanguis, ni multùm fallimur, ex parvulis arteriarum surculis effluit. Hujusmodi enim causæ, quippè cùm faciant, ut harum partium arteriæ sanguine supra modum abundent, efficiunt ut hic humor aut patulis arteriarum surculis dilatatis, aut ruptis iis arteriis exiguis quæ solent in conjugas venas desinere, effundatur; et aut solutus aut concretus, unà cum urinâ exeat.

At verò, cùm morbus ex malo sanguinis habitu nascatur, sanguinem, ut nobis videtur, effundunt patuli arteriarum surculi; qui aut in renum cola, meatusve qui hinc pertinent, aut in vesicam urinæ, profectamve hinc fistulam, hiant.

Nonnunquàm sanguis redditur, urinâ solutus, neque, dum hæc frigescat, unitas dissolvitur. Tùm forsan maximè sic mingitur sanguis, cum habitu sanus, ex læsis exiguis arteriis elabatur.

Aliàs

Aliàs autem, dum in receptaculo, stagnat urina, sanguis quo inquinatur, perindè ac venâ emissus, in crassamentum dissociatur et serum; neque multò pòst hoc unà cum illius rubris particulis urinæ innatat, dum reliqua illius pars, gluten nempè, internæ receptaculi tunicæ leviter adhæret. Naturis sic dissitis, ubì ad urinam expellendam receptaculum se, undequaquè osculum versus contrahit, dissociatæ sanguinis partes exprimuntur sic dispositæ, ut in urinæ itinere in vermis, intrinsecùs subrubri, extrinsecùs albi, similitudinem conformentur.

Aliquandò contrà, ob glutinis fortassè parcitatem, sanguinis, dum in urinæ vesica moratur, coloratæ partes intimæ hujus receptaculi tunicæ sese applicant, dum cæteræ urinæ innatant.

Ob hanc in vesica dispositionem, sanguinis vasis effusi partes minguntur sic configuratæ, ut vermem, ab exteriore parte subrubrum, ab interiore albidum mentiantur.

Nonnunquàm

Nonnunquàm, propter pravum forsàn sanguinis habitum, cruor et gluten, soluta eorum unitate in misturâ quâdam, at discreta tamen, per urinæ iter extruduntur, in exstincti ex lucernâ linamenti simulacrum conformata.

CAP. V.

De Prognosi.

Priusquam quâ ratione, et quibus auxiliis, morbus sanetur, exponamus, res poscere videtur, ut, notis attento animo consideratis, præsagire, qualis futurus sit eventus, aggrediamur.

Utì non iisdem semper causis hic morbus oritur, ità non idem semper affert periculum. Qui sivè renibus, meatibusve hinc ductis, sivè vesicâ, profectâve hinc fistulâ, arenulis calculisve exasperatis, sanguinem mingunt, ii, modò

dò his partibus lædentes naturæ alienæ non diù inhæreant, quamvis gravis eos et acerbus dolor brevè urgeat, rarò tamen in periculo versantur.

Neque enimvero ii terreri debent, qui, alienis in urinæ viis inhærentibus irritantibusque nullis, nimiâ arteriarum plenitudine sanguinem mingunt; quippè quibus medicus, exsolutâ tempestivè venâ, alvoque citatâ ductâve, plerumquè remedium parare possit.

Quòd si, ut haud rarò senescentes, seniove confecti, mortales, præ magnâ arteriarum patularum laxitate, sanguinem cum urinâ emittunt, periculum est, neque id leve. Simul enim cum vitali humore vires defluunt; neque semper penes medicum est illius fluxum sistere, hasque reficere.

Longè maximum verò iis mortalibus periculum minitatur cruenta urina, quorum, præ naturali quâdam, et sæpè indomitâ morbi malignitate, humores eò inclinant ut putrescant.

trescant. Hujusmodi enim urina ostendit, eorum non vires modò plurimùm fatiscere, sed quod pejus, ipsum quoque sanguinem tantum jam cepisse vitium quantum obstet, quo minùs medicina proficiat. In putridis igitur morbis pessimum signum est, et modò non semper lethale.

CAP. VI.

De Curatione.

Cæteris rei nostræ partibus pro facultate absolutis, nunc opus est, ut exponamus, quibus ægro medicamentis et remediis subveniatur. Hæc cœpti pars, etiamsi loco ultima, re tamen et magnitudine prima est.

Ut aliis alii causis morbum, quem agitamus, nanciscuntur, ità eadem non omnibus æquè convenit medendi curatio. Modò enim viis extranea seu aliena inhærentia expellere, quamque

quamque his intereà moveant irritationem idoneis medicamentis sedare, expediet. Aliàs requiretur, ut id agat medicus, ut sanguinem ex pravo in bonum convertat. Neque sanè rarò opus erit superfluum sanguinem aut solutâ venâ emittere, aut per vias naturales elicere. De tripartitâ sic curatione fusiùs dicere, nobis consilium est.

Curatio prima.—Qui propter calculos, arenam, aliave quælibet aliena, in renibus inhærentia, vel in viis per quas egeritur secreta urina, sanguinem mingunt, iis auxilia afferre debet medicus, quæ faciant ut inhærentia expellantur, quamque interim excitent irritationem obtundant.

Quò meatus laxentur, et faciliorem alienis inhærentibus exitum præbeant, utile erit, modò sinant vires, sanguinem detrahere; simulque mitioribus laxantibus alvum liquare, vel quod forsan, utì tutius, ità melius, infusis subtèr lotionibus subducere. Salina tamen cathartica, quippe quæ organa, quibus

secernitur excerniturque urina nimis stimulent, oleo ricini, mannæ, et his, si qua, naturâ similibus, posthaberi debent.

Eundem in finem, ægro proderit in balneum descendere, in eoque aliquantispèr manere, donec summa ubiquè cutis insudet. Hoc enim remedio nihil, ad idoneos, qui alienas naturas irritantes transmittant, urinæ meatus reddendos plùs pollere edocuit usus.

His præmissis, ægro dein permittatur, ut eodem consilio, opium, aut ipsum concretum, in pilulas conformatum, vel tincturæ formâ, assumat.

Intereà, ut mitior fiat urina, minùsque meatus irritet, potui apti erunt humores, qui sanguinem idoneum reddant, ex quo secernatur non solùm mitior urina, sed etiam lenis mucus qui vias illinat.

Hujusmodi autem sunt lactis serum; aqua

ex

ex hordeo altheâve decocta; itemque aqua, quâ soluta gummis Arabica est.

Curatio secunda.—Quoties verò morbus, de quo scribimus, ex malo sanguinis habitu oritur, ægro medicum oportet iis subvenire medicamentis, quæ hunc humorem ex malo in bonum mutent, facientve ut mutetur. Hujus autem generis sunt ea, quotquot obstant, ne eò inclinent humores ut putrescant.

Tali enimvero facultate pollent *cinchonæ* cortex; præparataque quædam ex eo medicamenta; cæteraque amara et astrictoria; acida, tam *sulphuricum* quàm *citricum* et *oxalicum:* vinum, præcipuè rubrum Lusitanum: quibus accedat multus puræ aquæ usus.

Dum horum usu perseveratur, utile erit, modò vires sinant, neque prohibeat dolor, levi quotidie exercitatione uti, utpote quâ valetudo aliquantulùm firmetur, et curatio ad spem magis procedat. Qui verò, ob sanguinis pravitatem, cruorem unà cum urinâ mingunt,

gunt, ii præ debilitate, rarissimè exercitationem ferre possunt.

Curatio tertia.—Siquandò, ut interdùm, morbus, quem persequimur, ex corpore sanguinis ultra modum pleno nascitur, opus erit, ut, incisâ venâ, tantum sanguinis emittatur, quantum vis morbi postulet, ægrotique vires pati posse videantur.

Eodem quoque consilio, idoneum erit alvum oleo ricini, aliisve mitioribus cathartícis, quæ urinæ itinera non irritent, leniter movere. Vel, si medico obvia qua res appareat, quamobrèm alvum ciere parùm commodum opinetur, hanc tamen immissis ex inferiore parte lotionibus subducere, non tutum modò sit, sed et utile.

Quinetiam, cùm suppressis profluviis plenitudo corporis orta sit, quæ cruentam urinam mingendo occasionem præbuerit, oportebit eadem, si commodum sit, revocare; sin minùs

nùs eorum loco, fonticulos facere, quibus, quod supersit sanguinis, idem dissipetur.

Ne morbus, sic curatus, redundante denuò sanguine revertatur, homo pluris valetudinem, quàm gulam, putare debet; et, dum ciborum et potuum modicus vivit, commodâ quotidie exercitatione, et idoneo vestitu, id agere, ut quæ ejicienda requirat prospera valetudo, eadem corpore excernantur.